Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 281
Quelle:
Copyright:

mutent per abusum. Vomeres inquam commutant in gladios, cum ueritatem dimittentes per mendacia populum in foueam dampnacionis perpetue detrudunt; predicant enim quosque dignos venia, quum tamen odio digni sunt et a participacione Christi fidelium excludendi. Hinc est quod per abusum preciosum illum thesaurum dissipant magis utique quam dispensant. Dicunt enim remissionem eos obtinere peccatorum pro quocunque modico subsidio temporali largas indulgenciarum gracias populis simplicibus condonando, quod falsum est omnino et absurdum. Vbi aduertendum, quod indulgenciarum donaciones ad potestatem ligandi et soluendi pertinent &c. Qua occasione plura non spernenda de hac materia.

III. *fol.* 112. Collectanea homiletica in *Epistolas* et *Evangelia* in Ecclesia legi solita. Initium ab Epistola Jacobi: *In hac Epistola beatus Jacobus apostolus premia bonorum ostendit que per patientiam adipiscuntur* &c. Quae sequuntur, potissimum ad *Adventum Domini* pertinent.

IV. *fol.* 157. Alia Collectanea: 1°. de Caussis, cur Christi Corpus in Missa elevetur. 2°. de Acceptione Munerum et damnis inde provenientibus. 3°. Fragmentum Missae de Lancea et Clavis Domini. 4°. Homiletica pro tempore Paschali. Omnia levioris momenti.

V. *fol.* 176. *De Corpore christi et contra infideles huius sacramenti.* Initium: *Impugnantibus verba ewangelij et ignorantibus circa sacramentum dominici corporis* &c. Ad calcem: *Et sic est finis sermonis magistri. H. quem fecit in die corporis christi coram clero et communi populo in Boemico. Anno domini M° CCCC° VIII°.* Reipsa *Joh. Hussi* est, ut indicavimus *Cod.* CCCCXXIII. et alibi, ubi additum, haberi in *Edit. Opp.* Ejus T. I. p. 202. sed Editores in Exemplo suo nec notas Temporis habuere, nec scivere, versionem esse e lingua *Bohemica.*

VI. *fol.* 181. *Utrum christus omnem sanguinem qui de corpore suo effluxit in eodem corpore hora resurrectionis glorificauit.* Initium: *Nota quod christum sanguinem qui de corpore suo effluxit* &c. Est pariter *Joh. Hussi*, extatque *Opp.* T. I. p. 191. nobis vero *Codd.* aliis, ut docet *Index.* Ultima bina *Cod.* folia ad *Fragmenta* spectant, a quibus N. I. recensum auspicati sumus.

CIV. VI. F. 5

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 64. 4. probe scriptus, literis initiorum rubro viridique variis est *Commentarius in Threnos Jeremiae* defloratus ex amplioribus Commentariis *Paschasii Rathberti* O. S. B. Abb. *Corvejens.* in dioec. *Ambianensi* Scriptoris Sec. IX. qui leguntur in *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. p. 759. juxta edit. *Sirmond. Paris.* 1618. f. Deflorator ex Operis clausula huc revocandus, ubi legitur: *Sufficiant hec in lamentationum Jeremie. que de patrum fontibus hausi* 389